IVLII CAESARIS
STELLAE
NOB. ROM.
Columbeidos,
LIBRI PRIORES
duo.

LVGDVNI

1585

39
1. 4.
847

Iulij Caesaris Stellae

Nob: Rom: Columbeidos libri priores duo.

BElla Ducemque cano, terris qui primus Iberis
Axis ad oppositi populos immensa Quiqueiae
Littora fecit iter, secretaque Regna retexit.
Ille graues rerum constanti pectore casus
Pertulit, & magnos pelago, terraque labores
Inceptis dum monstrum Erebi fatalibus obstat;
Multaque bellando expertus, dum tecta locaret
Tuta suis, ritusque pios moremque sacrorum
Conderet, vnde nouas passim venerata per aras
In summos nunc relligio succesit honores.
Tu modo quae iustos numquam frustrata vocatus
Vota foues hominum, & promisso munere damnas
Virgo parens, sic te terrae coelique potentem
Agnoscat, Natique tui sub Rege PHILIPPO
Indus vterque pio veneretur numina cultu
Affer opem, aspiraque mihi, quod cumque Columbus
Gesit equis, & classe tuum est, te iusta iuuantem
Praelia saepe graui rerum in discrimine sensit,
Te duce vicit iter durum, trans solis, & anni
Ire vias ausus. Tu me tua dona canentem
Diua mone, coeptisque volens audacibus adsis

At tu magne puer Diuûm genus, vnica Terris
Expectata quies, longo defessus ab aeuo
Regnandum tibi cum GENITOR concesserit orbem,
Excipe puberibus quae prima sacramus ab annis
Munera deuotae monumenta, & pignora mentis;
Tempus erit cum facta PATRIS miranda nouantem
Carmine te maiore canam, quandoque feroces
Contuderis Turcas, & Regum colla minantur
Ad sacra templa trahes curru sublimis auito,
Innumerosque mari referes ab vtroque triumphos;
Nunc Tibi militiae curas dum mollior aetas
Inuidet auspicijs maiorum inuenta tuorum
Regna lege & pugnanda animo iam concipe bella.
Soluerat Hispano iam dudum littore classis
Solis in occasum, pelagi tentare latentes
Missa sinus, positasque alio sub sydere terras,
Intactas penitus terras, quas omnis iniquo
Damnatas aestu nequicquam credidit aetas
Desertosque vacare locos, & inhospita Regna
Iamque supra Hesperidas varijs iactata periclis
Errabat pelago in magno, tamen omnia contra
Ventorumque minas, sauique incommoda coeli
Pergit iter fatis Dux tanta ad munera lectus
Cristophorus, coeptisque ardens ingentibus instat
Aspirant faciles aurae, mirataque monstrum
Non prius incuruae rostro sulcata carinae
Subsidunt vltro, & motus freta coerula ponunt,

Ipsi

Ipſi letantes ignoto corpore piſces
Emergunt pelago, naueſque attingere gaudent.
At contra diri Regnator luridus orci
Inuidiae ſtimulis, odioque agitatus, & ira
Detegat Auſonius ne Regna occulta Columbus,
Antiquoſque nouet ritus, melioraque gentes
Ad ſacra conuerſas luſtralibus abluat vndis,
Multa putat, ſi qua properantem auertere claſſem
Poſſit ab incoepto; velit aequora feruere flammis,
Aſtra tegi tenebris, coelum imbribus omne reſolui,
Ipſe inferre faces, dare noctem, immittere nimbos,
Sed quid agat? rata fata obſtant ignara moueri.
Flet tamen, & tandem haec inuito exore profundit
Ergo ego quae magnas Aſiae, libiaeque per vrbes
Tantorum impenſis operum Mahomete miniſtro
Damna dedi ſuperis, victor pelagique meique
Larguis inuento Ligur hic modo ſarciet orbe
Quo ſolo amiſſi caſum ſolabar olympi,
Cedam ergo, patiarque libens? dent iura ſubactis
Criſtiadae populis, rituſque, & ſacra refigant,
Deturbentque ſolo fratrum ſimulacra meorum,
Illis credula plebs operoſas erigat aras,
Illis vota dicet terris expulſus & alto
Rex Erebi vacua regnabo inglorius aula,
Et ſat erit manes poenis vrgere nocentes,
Qui toties ſuperis hoſtem me inferre ſuperbis
Auſus, & indignans generis ſubeuntis honorem

Eieci primos felici ab ſede parentes
Vincar ego? atque meo memet ligur arceat orbe?
Non equidem, quod ſi mea tanta potentia non eſt
Magna ſatis, ſpargam arma, ſeram noua crimina pugnae,
Tollam vndas, coelumque, Erebumque, Orbemque ciebo.
Gentis in inuiſae excidium, pars lintea retro
Vertat, & in ligurem crudelibus ardeat iris,
Totaque frangatur ſtudia in diſcordia claſſis;
Si pelago tamen infandas euadere naues
Contigerit, partem arma ferant, partem hauriat ignis,
Aegra neget victum tellus, nec foederd ſeruent
Indociles iuga ferre Indi, Dux ipſe Columbus
Aeſtuet externo venas incenſus amore,
Aut cadat ante diem, miſeroque in funere ſecum
Interrupta trahat funeſti exordia facti:
Sic tibi, ſic leges alieno imponere mundo.
Vane ligur dabitur, noſtroſque euertere cultus,
Dixit & infrendens magno clamore ſub auras
Erigit immundo mixtas cum ſanguine flammas
Talis odor, talis ſe faucibus egit ab atris
Halitus, abruptis qualem eructare caminis
Aetna ſolet; Iam ſe notas conuertet ad artes
Improbus, immaneſque dolos in pectore verſat.
Demens qui ſeriem aeterni reſcindere fati
Luctatur, viresque incaſſum effundit inanes,
Nec ſuperos; iuſtamque Dei reminiſcitur iram.
Continuo ruit ad naues, vbi multa querentem

Quod se vix notis iuuenem commiserit vndis
Et tot pertulerit duro sub Rege labores,
Callaicum videt Ascanium quem diuitis auri
Impulerat malesuada fames confidere ponto,
Nunc piget: Ergo locum insidijs tempusque nocendo
Nactus in Hispalici faciem se vertit Abantis
Dux Erebi, toruisque rubentia lumina flammis
Velaque pennarum, & furiales exuit artus,
Militis assimulat formam procul ardet in armis
Aureus, aurata volitant in casside plumae
Aurea atra humeris, lateri micat aureus ensis,
Mox prior Ascanium aggreditur dictisque furorem
Vipereum inspirat: Iam cursum luna peregit
Cum ferimur pelago, & fugientem quaerimus orbem,
Atque vtinam nobis lux illa extrema fuisset
Visa mari quae prima fuit, quando omnia retro
In peius ruere, & Patriam spes cassa videndi;
O miseri, mala nostra omnes vicere timores,
Nam quid ego ventos, tempestatemque procacem
Quae Cererem tumidis omnem penè obruit vndis,
Et penitus puri corrupit munera Bacchi,
Quid memorem rapido conuulsam turbine classem?
Aspice adhuc tantae superant monumenta ruinae;
Nec satis en etiam ceu nos incommoda rerum
Nulla agitent, miseras vrget penuria naues
Quae iam quassatae pelagoque annisque fatiscunt
Nusquam certa domus, terris prohibemur, & alto;

Vera loquar, vanos fata indignantia fastus,
Audaceſque animos aliena in Regna ruentes
Crediderim has nobis è coelo immittere peſtes,
Per ſolem hunc qui cuncta videt, per ſydera iuro,
Tempore quo prima ſparguntur coerula luce
Saepe mihi in ſomnis materna apparet imago
Sciſſa genas, canoſque manu laniata capillos,
Nate age, carpe fugam, teque hinc, ait, eripe proeceps,
Rumpe moras, age, carpe fugam, nam funera claſſem
Dira manent, rabieſque omnes abſumet edendi
Sic effata, ſinum lacrimis, mare quaeſtibus implet.
Scilicet haec olim dederat promiſſa Columbus?
Scilicet has Vrbes, haec aurea Regna canebat?
Et ſperamus adhuc, & inania vota fouemus?
Cui Ligurum non nota fides, foecundaque fraudis
Pectora! ſed longo fac nos ſupereſſe labori;
Et tandem optatos Indorum attingere portus,
Indomitaſque vltro ſeſe ſubmittere gentes,
Ipſe ſuo reget arbitrio Ligur omnia ſolus,
Solus erit victor, Italiſque imbellibus Vrbes
Diuidet, & noſtro quaeſitas ſanguine praedas,
Illi aurum montes, ſubiectaque flumina mittent
Nos humiles animae quas gloria nulla ſequetur
Horrendos rerum in caſus, mortemque volentes
Irruimus, noſtri fructum feret ille laboris,
Elatuſque animo victis dominabitur Indis,
Quin potius dum fata ſinunt, nec dum horrida ponti

Saeuit hiems, dulces Patriae remeamus ad oras
Et Ligurem externis tumidum precordia Regnis
Et ſocios quibus ille animum ſpe paſcit inani
Deſerimus, primos vbi ſol induxerit ortus;
Quare age totam armis, totam inſtrue remige nauim
Quae curae commiſſa tuae, poſtquam alta ſilebunt
Marmora, noxque diem pallentibus obruet vmbris;
Erret aquis quaeratque ſibi noua Regna Columbus,
Si quae Regna tamen ſoli ſunt nota Columbo;
Nos tandem antiquae repetamus littora terrae;
Dixerat, ille odijs, furijſque recentibus aeger
Vt noua nox coelum nigrantibus abſtulit alis
Nauim aptat; patriamque mari parat ire remenſo;
Iam coniux, materque animo, natique recurſant,
Otiaque, & vitae ſtudia illaudata quiete,
Et quaecunque abiens Patriae dilecta reliquit;
Tantus agit miſero mentem furor; omnis auitae
Ceſſit laudis amor, famaeque extincta cupido;
Iamque potens voti ſecum grauiora volutat
Monſtrum informe Erebi, ſtygiaque ab ſede Pauorem
Excitat vt claſſem coecis terroribus omnem
Impleat, inceptiſque metu deſiſtere cogat.
Protinus ille humeris alas pallentibus aptat,
Seque tremens agit ad naues cui frigidus horror
It comes, & lento repens ignauia greſſu,
Hic varias ſe ſe in facies ignobile monſtrum
Induit, inſinuatque animis, atrumque timorem

Immittit, torpent inuitae adiussa phalanges,
Et magni piget incepti, tedetque laborum,
Omnibus ante oculos leti presentis imago
Terribilis iam iam de coelo afflarier igne
Quisque sibi; pelagoue tegi surgente videtur;
Horror inest animis, trepidos pauor alligat artus;
At in promissas frustra, sol crastinus oras
Detegat, antiquas repetant facto agmine sedes,
Quin socios, ipsumque Ducem si forte repugnet
Inuadant armis. Et iam delapsa polo nox
Merserat humanas letheo flumine curas
Solus adhuc, nec somnum oculis, nec corde Columbus
Accipit; at partes animum deducit in omnes;
Senserat ille famem tota crudescere classe,
Et vulgi variare animos, certumque minari
Exitium, spes nulla super, diuisa recessit
Terra procul, passimque lues increscit eundo.
Continuo supplex oculos ad sydera tollit,
Taliaque illacrimans duplicato poplite fatur,
Summe Pater, si non praedandi insana libido
Aut amor imperij, patrijs me excedere tectis
Suasit, & infido vitam committere vento,
Sed tua diuersae colerent vt numina gentes,
Pelle famem, vulgique nouos compesce tumultus.
Si tamen has poenas mea facta indigna reposcunt,
Ah nimium malefacta, grauique obnoxia poenae,
Meme adige in tenebras, intorto fulmine solum

Deijce

Deijce me, meritumque flagrantibus obrue flammis
Quid socij meruere mei? quos fidere ponto
Egit amor cultusque tuus, da littora saltem
Tangere, & optato tandem succedere portu;
Non mortem horremus, vitam effudisse iuuabit
Tela per & flammas; pariant modo funera laudem
Nostra tibi; discantque nouae tua nomina gentes.
Audijt orantem supera de gente minister
Alipotens, vt coelo aderat de lapsus ab alto,
Olli fatalis quondam data cura Columbi
Cum primum tenero tetigit pede limina vitae,
Nam cuicumque suus coelestum ex agmine custos
Mittitur aerias nascenti in luminis auras;
Ille animum regit, & languentia semina recti
Quae nobis primo natura inseuit in ortu
Excitat, & diro generis tutatur abhoste;
Nec mora, praepetibus per inania nubila pennis
Carpit iter, gemitumque Ducis, generosaque secum
Vota tulit, quae post quam alti gens aetheris hausit,
Mota prece est, iustasque viri miserata querelas;
Extemplo densi dextra, laeuaque coronant
Regis tergemini solium, vocesque precantis
Ostentant, tacitoque omnes eadem ore reposcunt.
Ipse sedet, nebulaque alte subnititur aurea,
Syderibus quae picta sinum, procul omnia magna
Luce replet, variatque vagos incerta colores;
Non aliter niueae vestit quae colla columbae

Numquam eadem, similisque sibi sub sole videtur
Pluma leuis, modo purpureo fulgere piropo,
Nunc virides auro credas circundare gemmas,
Spectantumque oculos dubia sub imagine ludit.
Sub pedibus natura, & inobseruabile fatum,
Quaeque leues hominum mentes fortuna fatigat,
Bissenj circum radij canentia cingunt
Tempora, non ipsi diuinae spicula lucis
Coelicolae sufferre valent, non ora tueri
Comminus, oppositisque obnubunt lumina pennis.
Vt Pater omnipotens tanto in discrimine classem
Esse videt, monstrumque Erebi venisse sub auras,
Iamque odijs versare rates, iam crimina belli
Inserere, & placidas furijs accendere mentes,
Communemque legit coelestum in fronte dolorem,
Annuit, & puerum iubet ocyus aethere labi
Vnum ex alitibus, fessasque accedere naues,
Vt tandem ponti longis erroribus actae
Speratos tangant portus, non cepta retardet
Aut metas, aut inuisa fames, non foeta dolis gens
Missa Erebo, placidi subsidant marmoris irae,
Et lux optatas ostendit crastina terras
Sic fixum est, summique Patris haec certa voluntas.
Ille volat, nitido perfusum lumine coelum
Risit, & obstantes penitus cessere tenebrae,
Pictaque non solita tremuerunt aequora luce.
Forte Duci serus labentia lumina somnus

Pressera

Preſſerat, & curas inter ſubrepſerat aegras,
Cui ſe per noctem ſtellata in veſte videndum
Obtulit, & placido ſic Nuncius ore loquutus.
Tu nunc ignauae potes indulgere quieti?
O nimium ſecure tui, ſecure tuorum,
Iam fugiet veniente die, comiteſque relinquet
Immeritum qui te ſtimulis furialibus odit,
Atque odium ficto Patriae praetexit amore
Perfidus Aſcanius, iam per maria alta rebellem
Aſpicies carae repetentem moenia Terrae
Eia age, conciliumque voca, ſociſque furorem
Excute, conceptoſque metus, nam lumine primo
Sic placitum ſuperis, incognita littora tanges
Et Chriſtum vt ſacri depoſcit nominis omen
Chriſtophore in noua regna feres iam ſe aequoris vnda
Sternit, & aequati ſpirant in Carbaſa venti;
Ipſe adero ne gens immani emerſa barathro
Implicet inſidijs improuida pectora vulgi,
Inficiatue odijs, patriaeue incendat amore;
Nec fari me vana putes, Tibi Nuncius adſum
Aeterni Patris imperio demiſſus ab aſtris.
Haec ait, ille toro ſurgens, en omnia laetus
Tanta ſequor, modo ſancte faue, promiſſaque ſerua
Quicquid erit laus veſtra omnis. Tum plurima Magnam
MATREM humilis, ſuperoſque orat ſummique Pa-
Imperio parere parat, mox imperat omnes (rentis
Acciri ſocios, poſitis exercitus armis

Ad loca iussa fluit, lucem funalia flammis
Dant circum, trepidantque rotantia vertice fumum;
Venit & Ascanius, nam postquam Nuncius ales
Christophorum admonuit, mandataque prima peregit,
Illum adit, effugiunt mutato è pectore pestes
Tartareae, mentique prior lux redditur aegrae
Non tamen irarum causae, vetereſque dolores
Funditus efluxere animo, sic aequoris alti
Postquam discordes commorunt coerula venti
Si ponant, stridorque omnis flatuſque resident,
Se tamen vnda agitat, scopuliſque inflicta reclamat;
Ipse de hinc solio Dux talia coepit ab alto.
Magnanimi Comites (neque enim nescitis & omnes
Exhaustas pelagi furias tot naufraga saxa,
Tot scopulos, coelique minas, superata ferendo
Omnia) qui nouas hic mentes, ac pectora terror
Tantus habet? quo vis animi vetus illa receſsit?
Nil desperandum Christo Duce; si maris iras
Hactenus & coeli rabiem viciſtis iniqui;
Inceptis & adhuc immoti haeretis in ijsdem,
Nunc postquam casus rerum superauimus omnes,
Nec requies procul est tantorum optata laborum
Ibimus in Patriam indecores? non pectora tanget
Gloria? non superum cultus? quem credere dignum est
Expectare nouum nobis authoribus orbem;
Nec tamen, aut Vrbes pelago repetamus Iberas,
Aut noua sectemur felicis littora mundi

Saeua

Saeua fames, tumidique ideo maris ira quieſcet;
Sunt eadem, ò ſocij ſubeunda pericula nobis,
At non euentus idem eſt, fructuſque malorum
Nam ſi ventoſis animam ponamus in vndis
Dum noua tentamus Chriſti pro nomine Regna,
Felices obitus, quis enim neget auſpice tanto
Ire necem incertam, & meliora capeſſere Regna?
At ſi dum curſus iteratis claſſe relictos
In Patriam reditus contraria fata negarint,
Quid mala tot pelago toties exhauſta iuuabunt?
Quid tantum ſuperaſſe maris? quid denique viles
Proieciſſe animas? Ah ne vos foeda cupido
Occupet, & falſa pietatis imagine laudat;
Quis ſcit, an externum lux proxima detegat orbem?
Fata latent Diûum in gremio, nec cernere quiſquam
Mente queat ſummi decreta abſcondita coeli:
Quin mihi nocte ſub hac liquido puer aethere lapſus
Viſus adeſſe palam, & certas promittere terras
Aurea cum primo coeli plaga ſole rubeſcet.
Ergo agite inuicti comites, grauioraque paſſi,
Vt vos mirentur, nequeant aequare minores,
Interea vanis animum defendite curis,
Ne patriae perſtringat amor, vada coeca monebit
Chriſtus, & ipſe viam turbata per aequora pandet,
Ipſe epulas coelo, nos ſi fera cogat egeſtas,
Demittet, rebuſque volens ſuccurret iniquis;
An non ſic olim Iſacidas deſerta vagantes

Teſqua per & ſyluas coeleſti nectare pauit,
Oſtenditque viam, ſiliciſque è vulnere fontem
Largifluum elicuit? An non via facta per vndas
Oceani greſſus qua legifer intulit Herus,
Dum populum extorrem promiſſa in Regna reducit?
Dixerat haec (coeleſtis enim vis intus agebat)
Dicta probant proceres, animiſque audacibus ardent
Regna ſub aduerſo penetrare iacentia coelo,
Nec tanta pro ſpe mortiſe offerre recuſent;
Omnibus excuſſus pauor, & ſpoliata metu mens
Ipſe quoque Aſcanius cui non tolerabile viſum
Aequor, & antiquas Patriae rediturus ad oras
Proh pudor, inſidias abitumque in nocte pararat
Nunc tantum ſi qua factis extinguere famam
Dedecorum queat, & letum pro laude paciſci
Cogitat, ingenteſque animos ſub pectore voluit
Iam dulcis coniux, oblitorumque parentum
Mente receſſit amor. Tibi quae corda abdita ſancte
Spiritus aethereos afflas qui ſenſibus ignes?
Interea noctis tenebras ſol candidus egit
Sub terram, & rebus lux reddidit alma colorem,
Cum procul innumeras anates, turbamque ſonantem
Mergorum denſa coelum ſubtexere nube
Proſpiciunt, tremulumque externi luminis ignem
Aut videt, aut vidiſſe putat Leleptus Ariſba
Oſtentatque hilaris, vocemque ad Sydera iactat.
Eia agite ò comites, & qua data ſigna ſequamur

Ipſe

Ipſe manu nobis vibrantem ex aethere flammam
Ecce quatit Deus, & felicia littora ſignat.
Vix ea cum coelum effulſit, tonitruque ſecundo
Signa dedit rerum Genitor, nam lapſus ab alto
Ductori caput innocuus circum dedit ignis,
Obſtupuere omnes, tunc ſe ſe attollere tellus
Viſa procul, ſenſimque humiles conſurgere montes.
Ilicet excelſa Rodericus ab arbore ſignum
Dat prior, & terram repetita voce ſalutat
Terram omnes terram ingeminant, tormentaque coeli
Aemula dum flammam, & ventoſa tonitrua miſcet
Expediunt, vna ſonitum percuſſa remittunt
Aequora & inſolito tremefacti murmure montes:
Quae Dux magne tuum tentabant gaudia pectus?
Quid tibi tunc animi? cum iam vicina videres
Littora tantorum ſtudio quaeſita laborum?
Nempe humilis taci to tecum ſub corde volutas
Felices rerum euentus, acceptaque gratus
Cuncta Deo ſuperiſque refers, non coeca cupido
Imperij faſtu tumefactum tollit inani,
Non auri rabies, & amor veſanus habendi
Iamque propinquabant Terrae iam carbaſa Nautae
Demittunt malo, puppeſque ad littora vertunt,
Cum Ductor lacrymans, ſalue ò pulcherrima tellus
Nota mihi, & fatis vni mihi debita tellus,
Quampropter certae potui me exponere morti
Ne precor externos ne dedignare colonos;

Nam neque nos vento, pelagique erroribus acti
Venimus huc, coeli sed ineluctabilis ordo
Te petere, inque tuis iussit considere Regnis,
Cede Deo, simul haec simul ingens vndique clamor
Nauticus, assensu responsant aequora rauco
Et iam deductae siccum insedere carinae.
Continuo littus superis ingressus amicis
Magnanimus Ligur, optatae dedit oscula Terrae,
Deinde polum aspectans inflexo poplite fatur.
Quas tibi, quas tanto referam pro munere grates
Summe Pater? Tu me penitus nil tale merentem
Qui nomen, rituque tuos transcognita ferrem
Sydera legisti, tantumque audere didisti,
Tu mulces venti rabiem, tu seaua coerces
Monstra Erebi classemque tumentibus aequoris vndis
Ereptam toties felici in littore sistis,
Ah ne forte tuam mea nunc facta impia mentem
Auertant, sed dexter ades, sed dirige fessos
Ignarosque viae, rerumque exordia firma.
Dixerat, & victae monumenta insignia mortis
Quadrifidum ingentem transuerso stipite truncum
Sublimi in tumulo tolli iubet, ocyus omnes
Incumbunt operi, cuneisque immania findunt
Robora, nec requies, donec venerabile signum
Educunt coelo, & spumanti in littore figunt:
Corpora dehinc longo curant exhausta labore,
Concussisque famem arboribus solantur, & herba,

Pocula

Pocula ſunt vitrei fontes, nam caetera rerum
Munera quae preſsis ſecum aduexere carinis
Fontus habet, ſed forte nemus dum cuncta per altum
Luminibus luſtrant, praedae quo ducit egentes
Importuna fames, procul in conualle reducta
Populeas inter frondes ſub monte lacunam
Stare vident, fluuioque anates innare loquaci.
Ollis picta rubet ceruix, argentea canent
Pectora, nec certa variantur tergora pluma.
Ilicet aere cauo tormenta imitantia fulmen
Corripiunt, coelum ruere, & iuga viſa moueri
Intremuitque palus & iam reſupina per vndas
Corpora voluuntur miſerarum infixa natantum
Accingunt praedae iuuenes, viridique ſub vmbra
Inſtaurant epulas, dapibuſque explentur opimis.
Interea Ductor cum iam deſerta per alta
Omnia luſtraſſet late loca, littora poſtquam
Deſolata videt, populiſque vacantia Regna.
Vlterius pelago gentes penetrare repoſtas
Conſtituit notiſque iterum ſe offerre periclis
Tantus amor cultus vanorum abolere Deorum
Haec illum cura una dies noctesque fatigat.
Protinus irato quaſſatas aequore naues
Componunt ſolidiſque trabum compagibus armant
Materiam ſylua alta dabat, pars fontibus vrnas,
Pars naues vrnis, pomiſque agreſtibus implent,
Pars clauos, cuneoſque nouant, labefactaque firmant

Vincula, mox ſicco multa in littore claſſem
Detrudunt, natat vncta ratis, iamque auſter in altum
Vela vocat, placidique inuitant marmora ponti
Carbaſa dant coelo Nautae, & vada liquida verrunt
Ipſe ſedens celſa in puppi refluentia Ductor
Coerula, nec ſtabili ſpirantes flamine ventos
Obſeruat terrae ſigna indubitata propinquae.
Ecce autem a leua medio procul aequore creſcit
Inſula victrici quae iam ſubiecta Quiqueiae
At nunc Cannibali priſcis erepta colonis
Littora dira tenent infenſique omnia circum
Oppida diripiunt, populiſque imbellibus inſtant,
Infandum genus, haud illos communia belli
Iura mouent atro captorum ſanguine foedam
Sanguineque ingluuiem, mẽbriſque trementibus explent,
Tum quos ſera aetas peioribus ingrauat annis
Selectos infruſta ſecant extremaque multo
Membra ſale aſpergunt, tectiſque affixa reponunt,
Oſſibus albentes agros, & ſquallida tabo
Viſcera, parietibus videas pendere cruentis.
Hic ſuperum é numero iuuenis cui credita claſſis
Cura piae ſaeuis ne forte aduertat arenis
Et ſe ſe imprudens in aperta pericula mittat
Impulit ipſe manu praeſens fugit illa per vndas
Stridula, Cannibalumque altas abſcondidit arces
Matitinaeque ſinum celeri legit incita curſu,
Culta feris loca virginibus, procul inde virorum

Inter

Intercluſi aditus generi, ni tempore certo
Alma venus cum vere nouo ſarcire caducae
Damna, monet gentis, facibuſque inflammat amoris,
Cannibalos in tecta vocent, communia Regni
Ipſae ſceptra tenent, pacemque, ac bella miniſtrant,
Et pulcra populos in libertate tuentur;
Non aliter poſtquam vna mares nox abſtulit omnes
Lemnia crudelis tenuerunt littora matres.

Protinus apparent ſparſae longo ordine centum
Inſulae excelſo in fluctu, nautiſque videndam
Aurea ſe Burichena procul venientibus offert
Diues agris, frugumque ferax: Tum rara domorum
Tecta patent, proraſque accedere Cuba videtur;
Et iam delati in portus, terraque potiti.

Interea nemorum é latebris confluxerat ingens
Turba virûm ad naues, pendet cui naribus aurum
Nigranteſque artus nullo velantur amictu,
Vidit vt armatas turrita in claſſe cohortes,
Veliuoliſque leues inſtratas curribus vndas,
Obſtupuit retroque pedem exanimata reflexit
Tunc equitum é numero iuſſi erupere frementeſque
Exhortantur equos & lora vndantia laxant,
Iamque humeris inſtant fugientis, at acrior illa
Carpere prata fuga, & rapido petere auia curſu,
Donec abit procul, arboribuſque obtecta receſſit
Ex oculis, nec iam poſſunt aequare ſequendo
Cornipedes, nemus obſtat, & altior implicat herba

Ergo equites (quamquam ora pudor notat, iraque mentem
Sollicitat) relegunt iter, ignotosque per agros
Vndisonum ad littus versis referuntur habenis.
Talis vbi leporem iuga per montana secutus
Ereptum ex oculis nusquam videt, aeger anhelans
Ad dominum redit Vmber, & acri fluctuat ira,
Iamque velit praedae, laudumque incensus amore
Ocyor ire iterum, campo si forte patenti
Discurrant excita suis animalia lustris
Intentisque oculis arrectisque auribus astat,
Ante volant catuli, atque auras sectantur odoras.
Postquam nulla datur Cubam explorare potestas
Nec loca, nec gentis mores, laxata ferenti
Pandunt vela Euro, volat incita flamine classis,
Nec mora vicinis Quiqueiae allabitur oris,
Finitimas inter longe quae maxima terras
Insula, diues opum, & saxosis aspera campis,
Vnde loco prisci nomen fecere coloni
Haytumque vocant, spumanti gurgite pontus
Tundit vtrinque latus, mediamque ingentia findunt
Flumina, quorum auro Hauentes torquet arenas
Cotyus, ex altoque volutus monte Cibauus.
Hos olim vt perhibent diuersa ab sede profecti
Cum iam Matitina arderet ciuilibus armis,
Electi patria, poenisque ingentibus acti
Deuenere locos populi quo ventus & vnda
Impulit, hic laetam mirati lictoris oram

Camposque

Campoſque, ſyluaſque, & amictos gramine colles,
Piſcoſoſque lacus, Cemijs in prima vocatis
Omnia qua longo ſe ſe explicat area tractu
Frondentes poſuere domos, & nomine magnam
Conſilijs, opibuſque vrbem dixere Quiqueiam
Nunc terrae hos late tractus, & littora longe
Rex Narilus tenet imperio, populoſque beatos
Aeterna ſub pace regit, ni ſaepe feroces
Cannibali in vitum funeſta in praelia cogant.
Vt primum optatis Ductor conſedit arenis
Viginti lectos equitum (namque omnia circum
Culta videt) Regem & mores, & moenia gentis
Explorare iubet, reſponſaque certa referre
Dehinc equitum legio, peditumque exercitus omnis,
Cum primum humentes tenebras aurora fugarit
Craſtina, ſub Ducibus campo ſe oſtentet aperto
Imperat interea triſtes ſecludere curas
Defeſſoſque animos placida laxare quiete
At nequis populare agros, nec vertere praedas
Audeat ad littus, ſpaciiſque excedere iuſſis,
Ni faciant poenas letumque infame minatur.
Et iam purpureis Titan emerſerat vndis
Aureus, & niueo coelum candore rigabat:
Nec mora fit, peditum plenis è nauibus vndam
Caſtra vomunt, reboant colles, pulſuſque procella
Cornipedum magno tremit omnis murmure campus
Puluereus, nigramque eiectat ad aethera nubem,

Sex turmae, totidemque Duces, hos tota sequuntur
Agmina, tercentum Hispanae robora pubis
Cuique merent numero pedites, quorum vna cauato
Liuentis plumbi glandes intorquet ab aere
Seruatumque ignem fumanti infomite gestat.
Altera pars humeros ingentibus ingrauat hastis,
Omnibus in morem crines premit aerea cassis,
Omnibus it collo candentis circulus aeris
Sutilis, & gladius laeuum latus armat Iberus.
Iamque in conspectu varijs legio omnis in armis
Regis adest, dant signa tubae, quassataque fracto
Tympana tenta tonant strepitu, sedet altus, & omnes
Dux legit, instructasque acies animosque paratos,
Et tam certa Ducum mirari pectora gaudet.
Tu modo quae veterum monumenta insignia rerum
Ad seruas, nigrique é faucibus eripis orci
Liuida ne nomen seclorum obliteret aetas,
Tu mihi fama globos equitum, peditumque maniplos
Suggere, quique Duces externa in bella sequuti
Magnanimos ausus, cunctamque ex ordine gentem,
Non ego res tenebris possim, terraque latentes
Eruere, & coeli nitidas efferre sub auras
Tu mecum ingentis ni facti euolueris oras.
Primus adest Buylus tales cui vestis ad imos
Vndique nigra fluit quo non magis vtilis alter
Veracis fidei ad vultum & pietatis amorem
Ore ciere viros, moresque inhibere nocentes,

Et mulcere animos, & pectora flectere dictis,
Nec semel astra super coelique volubilis orbes
Mente fugit, fruiturque Deo, secretaque summi
Aetheris in terras defert, hoc scilicet illum
Omnipotens GENITOR magno dignatur honore
Contemptis pro diuitijs, fastuque parentum,
Nam leges Benedicte tuas, & facta sequutus
Crescentem instituit tua per vestigia vitam,
Deseruitque domum, atque adytis se se abdidit vltro,
Ille manu ostentans nostrae monumenta salutis
Pendentem ligno, & patientem mortis iniquae
Bis genitum Regem, pedibus per scrupea nudis
It primam ante aciem, plenoque haec ingerit ore
Hoc Duce vincendum o Comites, hoc fidite signo.

Deest Catalogus primi
Libri finis.

Iulij Caesaris Stellae

Nob: Rom: Columbeidos,

Liber Secundus.

ETiam fama nouis totam terroribus vrbem
Concutit, atque animos stimulis ingentibus vrget,
Illa volans, grauidas ignoto milite naues,
Aerataſque virûm turmas praetexere littus
Detulit, & curuo Quinqueiae insidere portu,
Iamque armis in Regna rucent, iam templa domoſque
Diripiunt, ipſumque petent in vincula Regem.
Talia per trepidas rerum miracula gentes
Monſtrum immane canit, ſuccenſaque pectora bello
In ferrum vocat, attonita diſcurritur Vrbe,
Pars ſudibus, pars lethiferis armata ſagittis,
Saxa gerunt pars magna, venenataſque macanas
Omnibus ora niger tingit color omnibus haerent
Indigetum fronti ſimulacra impreſſa Cemorum;
Non aliter ſi nocte domos immiſſa potentum
Flamma voret tota ſerpentem extinguere peſtem
Vrbe ruant temere ciues, pars flumina plenis
Subuectare vrnis, pars alta euellere tecta
Cauſſam igni, reſonat magnis clamoribus aether
Et violata nigro pallent aſtra aurea fumo.
Primus adeſt, iaculiſque manum letalibus armat

Regia

Regia progenies Tarilus, quem deinde ſequuti
Erſilus, & Sagaris, partu quos edidit vno
Mixta parens Cemio, formaeque inſigne paternae
Oſtentant ſumma ſurgentia cornua fronte
Nudi ambo, latis intecti frondibus ambo.
Ecce manu preceps animi Corineus obuſtum
Torrem quaſſat agens ſocioſque incendia poſcit
Vociferans, furijſque fremens. Quid ſtatis inertes?
Tutus an vt captis incendat rura colonis
Interea, predaſque ad littora congerat hoſtis?
An potius ſecuram armis aduentet ad vrbem?
Noſque domos inter, Diuumque altaria quaerat?
Ferte faces, rapite arma, rateſque inuadite flammis
Author ego. Vix haec, iam tela, faceſque iuuentus
Saeua fremit, ſudibuſque manum flagrantibus implet,
Scintillant ignes, it craſſus ad aethera fumus;
Et iam diſpoſiti in turmas inimica petebant
Littora, cum ſumma Narilus decurrit ab arce.
(Motus enim armorum ſtrepitu, populique tumultu)
Tela inhibere iubens, magnaque ita voce profatur.
Quo ruitis, cohibete animos, ſaeuumque furorem
Mittite, non armis hominum, non viribus vllis
Tempus eget, claſſem hanc alieni a finibus orbis
Venturam cecinere Cemi, quis fata, Deoſque
Bella ferat contra? non ſi tota ingruat armis
India, fatali poterunt obſtare ruinae,
Si qua viam fortuna dabit, ſi qua aſpera vertent

Fata preces, tunc insidijs, tunc viribus vsus
Hanc seruate precor meliora in tempora mentem
Nunc potius naues vltro excipiamus amicas
Iungamusque fidem quod si decedere Regnis
Forte velint nostris, victuque, opibusque iuuemus.
Sic ait, at curis animum mordetur amaris,
Et secum sub corde Cemi responsa reuoluit,
Nam cum sceptra Patris quondam post funera Beuchi
Acciperet Narilus, terrisque instructus, & alto
Cannibalos erepta reposcere regna pararet,
Iuit ad Oboicam scitatum oracula rupem;
Quid tandem super imperio voluenda minentur
Sydera, quid magnae promittant fata Quiqueiae.
Est prope Samanae fines sub monte recuruo
Antrum ingens, unde & solem, teque aurea Phoebe
Emersisse ferunt, ornis ingentibus vndat
Desuper horrentique locum nemus oculit vmbra
Huc & Samanae gentes, Cibauaque tellus
Conueniunt trepidisque petunt oracula rebus,
In medio Cemius antrum tenet, aptaque ligno
Inclusus responsa canit, venturaque falsis
Inuoluit, dubijsque animos ambagibus implet,
Quo postquam attonito solus cum Rege sacerdos
Venit, & intactis ridentem floribus aram
Permulsit fusosque solum spirauit odores,
Tres perhibent illos Cereris sine munere luces
Et totidem in somnes traxisse ex ordine noctes,

Orantes

Orantes veniam, ac precibus responsa petentes,
Limina contremuere, recussaque mugijt ara
Horrendum, rupesque auditaque Sylua moueri,
Nam Cemium Pater omnipotens ignota parantem
Reddere & ambiguis mentita oracula verbis
Immiscere, domans premit, & quae dicta remittat
Ipse preit, tum vox arrectas perculit aures.
Ne luctus, ne quaere tuos, ne quaere tuorum
Optime Rex, fuimus Diui, Quiqueia quondam
Terra fuit, iamque ecce dies infanda propinquat
Imperioque te tentantem plurima frustra
Arceat aut ritus dediscere cogat auitos,
Ecce virûm innumeras longa cum veste phalanges
Externo vehit huc incognita classis ab orbe,
Quae tellus Cibaua, & quae Samana videbis
Funera si certae quisquam obuius ire ruinae
Audeat insidiasque, dolosue intexat opertos?
Non illos obscoena fames, non aequoris ira
Non coniurati bella in communia Reges
Proposito flectent, vt tonsa bipennibus ilex
Aerio quae monte caput sub nubila condit
Damna per, & caedes ferro deducet ab ipso
Magnus opes, animumque Ligur, vim viribus artem
Artibus exibit, nec spes super vlla salutis,
Et grauiora manent venturos damna nepotes,
Namque olim summa Diuûm de gente PHILIPPVM
Quem grauida imperijs domus efferet AVSTRIA ceolo

Fata dabunt, patria nec Dijs virtute secundum,
Non satis vnus erit totum quem maximus orbem
Regnator premet, & paribus fraenabit habenis,
Haec illi fatale etiam sceptrum omnia debent
Littora, proh quantas in me, excidiumque Deorum
Quos colitis poenas, quantas ferus ille ciebit
Per populos passim strages, si sacra recussent
Et patrios mutare Cemos, maris arua rubescent
Caedibus & vestro nulla ora cruore carebit,
Mittet & ille viros vitae decreta sequutos.
Certa sub Ignatio quem dies Iberia luci
Magnum animi, & numero facta ob sublimia Diuûm
Addendum dabit, hi poenis, & morte superbi
Pro superum cultu, pro Relligionis honore
Exponent crudae fidentia pectora morti,
Tunc Reges noua sacra humiles, & vulgus & omnis
Accipiet Quiqueia, nouasque assuescet ad aras
Thura dare, atque alios casta prece poscere Diuos
Et veteres vltro dediscent secula mores.
Finierat (fumumque ingentem faucibus efflat)
Luminaque & tetris arserunt cornua flammis.
Hi Narilum monitus in publica bella volentem
Ire vetant, placidosque animos, mentemque benignam
Accipit in Ligurem, solitoque ad littora ferri
More iubet, subeunt oneri quos inclita factis
Dextera, quos altum plebi genus eximit imae,
Bisseni iuuenes, partitoque agmine Regem

Attollunt

Attollunt humeris, lato iacet ille pheretro
Sceptra tenens, magnamque premit sub pectore curam.
Hinc atque hinc armata cohors cui tecta tueri
Regia, & immensi custodia credita Regni,
Nudi omnes, vario tincti omnes membra colore,
Agglomerant, non his gladij, non cuspidis vsus,
Stipitibus duris, sudibusque armantur acutis.
Pone subit magna matrum comitante caterua
Anacaona soror, illis quae forte diebus
Virgo nouos initura toros desponsa Cibauae
Regi erat, & caro iam iam donanda marito
Illa caput, nulloque intectum corpus amictu,
Et roseis ornarat eburnea brachia sertis
Membra colorati velabant caetera flores,
At leues humeros depexo contegit auro
Crinis ab effuso qui vertice plurimus errat.
Vt ventum ad naues pro curuo in littore Reges
Complexu iungunt dextras, & foedera firmant,
Caetera de hinc epulas permixta impune iuuentus
Aggere in herboso instituunt, cumulataque ducunt
Pocula, pars naues, & grandia quadrupedantum
Corpora mirantur, florentiaque agmina ferro,
Pars velata notis pandentem cornua classem,
Ancora quam morsu stabilem fundauerat vnco,
Tensaque non vno fluitantia flamine vela
Spiculaque clipeosque, & acute cuspidis hastas.
Ductor vt attonitos rerum nouitatibus Indos

Excitet, atque animis terrorem immittat inanem
Centum vicina ſuſpendi é rupe columbas
Imperat, & certo tranſſiger eminus ictu.
Extemplo truncis acerûm connexa retortis
In tenues aere ex ſolido deducta canales
Arma citi arripiunt iuuenes anguſtaque ferri
Spiramenta caui contrito ſulfure complent
Vnde aditus flammae, ſilicemque & caetera poſtquam
Explorant, ſibi quiſque ſuam quo dirigat ictum
Signat auem, penituſque occulos immobilis haeret
Tum rota tacta manu, vincloque exacta remiſſo
Cum ſtrepitu ruit, & ſilicem reuoluta prementem
Obterit, illa repente micat, ſimul ignis & ingens
Fit tonitrus, fulſere aurae, concuſſaque tellus
Intremit, & caecae lucem eripuere tenebrae
Ecce cadunt volucres, vitamque in nube relinquunt.
Attoniti trepidare Indi ceu fulmina coelo
Diſſiliant, campique ſolo labente dehiſcant,
Pars fugit inque cauos ſe ſe addidit auia montes,
Littora pars legere, & celeri loca frondea curſu.
Vt primum ceſſit pauor atque horrenda quierunt
Murmura iam, fumuſque euanuit ater in auras,
Ingentem efferri galeam mira arte politam
Imperat, hoc Narilum praeſtanti munere donat
Criſtophorus, monumentum animi et graue pignus amici.
Illic Fernandum in Mauros pia bella gerentem
Pro re communi, pro Relligione tuenda

Fecerat

Fecerat, & multo ſpirantem illuſſerat auro
Docta manus ſociamque tori, comitemque laborum
Reginam addiderat tortis ibi crinibus Aphros
Non expectato rumpentes foedera bello
Cernere erat, tumidoſque inſtructo milite campos:
Nox fauet, inſidiaſque vmbris defendit amicis.
Centum olli ſcalis aduerſa in moenia furtim
Expoſitis, ſomno domitam, nec bella cauentem
Irrumpunt armis Zaharam, ſimul ilicet adſunt
Pallentes Erebi peſtes, quas orcus aperto
Expuerat gremio, captaeque immiſerat vrbi
Exitium, flammas illae ferrumque miniſtrant,
Inſpirantque viris caedes fluit vndique ſanguis
Vndique mors, nigra luctuſque in veſte vagatur.
Parte alia Diuos ſecum in pia prelia ducit
Rex pius Alhamanque inimico milite cinctam
Obſidione leuat, illic trepidantia Maurûm
Agmina magnanimi vultus horreſcere Regis
Aſpiceres, coeciſque fuga ſecondere ſyluis;
Illum autem Zaharae caedes, temerataque templa
Vltum armis, quo fata vocant, quo praeuius anteit
Armatas acies manifeſta in luce Iacobus
Candidus aurato clara inter nubila ferro
Pergere iter, loſcaeque agros, atque oppida vaſtat
Dehinc campos ingreſſus aqua quos Diuite Daurus
Praenatat Illorae cultu foedata profano
Templa Deo dicat, & ſumma defigit in arce

Signum immane crucis laetae longo ordine gentes
Poplite procumbunt flexo, precibusque ſalutant.
Nec procul impoſitam ſublimi vertice montis
Obſedere arcem praeruptis aſpera ſaxis
Stant loca, difficileſque aditus moeſta agmina circum
Longo feſſa labore ſedent, cum protinus inter
Sublimes nebulas dextra Deus ipſe migrantem
Flammam intorquet agens, ruit illa micantibus aſtris
Turbinis in morem, totumque illapſa repente
Moclinium inuoluit, miſſi ſimul aethere venti
Spirantes aderant, infuſaque flumina peſti
Dant animos, volitant obſcura in nube fauillae
Ardentes, nimbuſque ad ſydera fumidus vndat.
Hinc ſuperûm auxilio freti, & felicibus armis
Moenia Granatae veniunt, denſoque coronant
Milite, non aditus clauſae, non exitus vrbi
Amplius, hic flauis vndantia meſſibus arua,
Oppidaque, ac pagos diſperſis ignibus vri
Fecerat, & magnis quaſſatam molibus vrbem
Ex angui trepidare metu. Mox ecce recluſa
Improuiſus adeſt porta, medioſque per hoſtes
Barbarus it, ramum dextra praetendit oliuae,
Tela ſub ingenti letalia veſte latebant
Illum compoſito vultu premere ore videres
Velle dolos iam ferrum aperit, iam percutit, & iam
Poenituiſſe putes, meritaque ibi morte peremptus
Concidit, obruitur que ingeſtis inſuper armis.

Nec non obſeſſae prope moenia conditur vrbis
Sancta fides, pars templa nouant, pars aggere muros
Cingere, & aequatas aſtris attollere turres,
Pars fundare domos, opere omnis Boetica feruet.
Et iam finis erat bello, iam Bobdalis vltro
Sceptrum fernando, Regnique inſignia mittit
Ipſe habitu vultuque humilis ferrata recludit
Limina portarum, & venientes excipit hoſtes
Ibant inſtructi ordinibus, vrbemque petebant
Magnanimi Heroes, caroque Iſabella marito
Ad latus it, pulcra comitum ſtipata corona,
Atque animis ſexum, curiſque virilibus implet.
Pone ſubit procerum in medio Mendozius Heros
Albo inuectus equo, cui ſacri inſigne ſenatus
Tempora purpureo fulgent umbrata galero
Illum candenti tenuiſſima velat amictu
Carbaſus, & certo criſpatos ordine flexus
Centum agit errabunda, ſacroque interſerit oſtro,
At circum extremas niuei ſubteminis oras
Finxerat argento, leuique inſperſerat auro,
Ipſum autem obducto credas tranſfulgere velo
Coccineam chlamydem, atque imis illudere plantis
Hos equitum globus, & peditum manus anteit ingens.
Addiderat victo labentem flumine Daurum
Mollius, & nitido ludentes aethere centum
Pennatas puerorum acies. Procul inde tenebras
Horrendas viſu, flammamque inamabilis orci

Illuc monſtra Erebi regnis expulſa ſubactis
Antiquas repetunt ſedes, ſuperoſque relinquunt.
At furor anguſta galeae caelatus in ora
Poſt tergum aeratis compreſſus brachia nodis
Arma ſuper ſedet, & victricia vincula mordet.
His Narilus gaudens donis (quamquam artis & (vſus
Neſcius) intentos oculos per ſingula voluit,
Bellaque, fortunaſque virum, atque ingentia facta
Miratur tacitus, neque honori cedit, at omnes
Partitur Cererem in naues, partitur & angues;
Quadrupedes angues, multo quos incoquit igne,
Et menſis tantum regalibus India ponit.
Addit aues, oneratque cadis agreſtia vina
E Cerere, & preſſis palmarum exhauſta medullis.
At Ductor (neque enim mentem conſiſtere rerum
Cura ſinit) pelagi vada per ſtagnantia coeptum
Pergere iter parat, & terras reſerare propinquas.
Interea ne ſorte nouo Quiqueia tumultu
Foedera perrumpat, neu bella occulta tumeſcant,
Compactis turrim trabibus, vincliſque reuinctam
Arboreis, texit ſaxoſo in vertice rupis
Sublimen ingentem, ponteſque inſternit, & altas
Subijcit his foſſas, & propugnacula magna
Arte locat, munitque aditus dehinc milite complet
Qui procul externis venientes finibus hoſtes
Expellat, poſitoque Indos in foedere ſeruet
Atque hominum ediſcat mores habituſque locorum.

Senſerat

Senserat haec Erebi rector, vincique superbus
Impatiens altum indoluit, tum lumina contra
Magnanimum Ligurem, comitesque ardentia torsit
Et secum irato dehinc talia fudit ab ore.

Et potuit! necquicque vndae, nec ventus & arma
Profuerunt, comitumque metus, nec inhospita tellus
Cannibalum, nec dira fames, ne Regna Quiqueiae
Tangeret, optatisque Ligur consideret aruis?
Vicit & imbelles iuga sub sua subdidit Indos,
Et maiora parat, credo mea vincla supersunt,
Namque aliud quid iam superest? iam foedera iunxit,
Iam populos ditione premit, iam condidit arces,
Quin alias iter ingentes, noua tendere Regna
Molitur, penitusque meos delebit honores,
Victor ouans quod si fatorum immobilis ordo,
Non cedam tamen, & fatis obstantibus ibo
Ibo animis contra Liguremque inimicaque castra
Insequar, ipse mihi fati inuiolabilis instar
Ipse mihi Deus, & superis spectantibus vndas
Tollam iterum, vertamque procacibus aequora ventis
Infandamque ipso submergam in littore classem,
Spargam iras, atque arma iterum, nec vincar inultus
Sed vincam. Dixit toruumque immugiit ore
Mugitu quo terra tremit, valleque resultant
Infernae, longeque cauae intonuere cauernae.

At subito excitum tenebris ardentibus omne
Aligerum genus aeterno quos aethere quondam

Dispulit omnipotens, sedesque excussit ad imas
Multa reluctantes, belloque resistere adortos
Conueniunt, illis longaeua in secula poenis
Excercere animas hominum data cura nocentes;
Quos vbi consertos simul, atque in iussa paratos
Vidit ab accenso Dux talia pectore rumpit.
Nunc validis nitendum animis, nunc robore firmo
O socij, ne noster honos, & gloria cedat,
Aequalesque Deo vinci patiamur inertes,
Cernitis, vt pelagi tot vasta per aequora vectus
Quiqueiae Ligur extremas penetrauit ad oras?
Iam ritus dabit ille nouos, antiquaque sacra
Destruet, aequatisque solo nos trudet ab aris,
Nostra etiam celebri victor captiua triumpho
Credo equidem simulacra vehet, vinctique cathenis
Ante rotas Erebi denso ibimus agmine Reges
Terrarum domini, & coeli stellantis alumni.
Nos qui bella Deum, socialiaque agmina contra,
Contulimus, paribusque vltro certauimus armis,
Nos igitur? Nos mortali vincemur ab hoste?
O, tantum prohibete nefas restinguite flammas
Serpentes, lapsisque simul succurrite rebus,
Tollite pacatas ventis pugnantibus vndas,
Inque ipso gentem, & naues submergite portu,
Compositam pacem, vanumque infringite foedus,
Quod socios si bella inter, Liguremque seratis
Maxima res effecta, timorque euanuit omnis,

Nec

Nec dubito, nam vestra mihi iam congnita virtus.
Vix ea iamque animae tenebrosa é sede rebelles
Erupere vna, & coelo incubuere sereno
Protinus, ingenti fremitu, & stridentibus alis,
Non aliter duris chalibum conflata metallis
Machina, si postquam mixto cum sulfure nitrum
Excepit gremio, contrusoque obijce sepsit,
Hauriat admotam graue olenti é fomite flammam
Dat crepitum, magnaque expulsa repente ruit vi
Saxea pila ingens, & stridula dissecat auras,
Arua tremunt, fracto cadere aethere sydera credas,
Ecce procul diro percussae fulmine turres
Moeniaque alta iacent, stat fumo, & puluere coelum.
Interea Ligurum Ductor, postquam aequora rident
Velaque felices tendunt crepitantia venti
Certus iter celerare, sinusque aperire latentes
Sic lacrymans Regi socios commendat amico.
Inclyte Rex rerum decus, & tutela mearum
Dum populos alios, vicinaque littora tento
Communem hanc turrim, & comites tutare relictos
Et Ducis interea pro me precor accipe curam,
Sponte tuos illi monitus, tua iussa capessent
Te Regem, dominumque colent, nomenque Columbi
Solum aberit, tutas defendent hostibus vrbes;
Littoraque, & vigili portus custode tenebunt,
Tu rerum ignaros solerti protege cura;
Me certe numquam tanti meminisse pigebit

Officij, ingratumq; tibi nulla arguet ætas.
Vix ea cum subito Narilus. Dum vita manebit
Foedera quae tecum pepigi Dux magne manebunt,
Non si subsidat tellus, librataque mundi
Machina magna ruat, solida me mente tenacem
Proposiți quatiant inconcussumque ruinae;
Solue metus omnes rerum mihi cura tuarum
Semper erit, turrimque tegam, comitesque relictos
Aeternumque tibi factis testabor amorem.
At modo te ventis ne Regna occulta sequentem
Ignotum penitus variarum ambage viarum
Fallat iter, pelagi quo non prudentior alter
Quo tecumque feres tecum hic meus ibit Aletes.
Haec ait, & ripis lectum fluuialibus aurum
Insuper ausonio munus dat ferre Columbo:
Ille suos compellat, & haec placido ore profatur.
Vlterius me fata vocant, properare necesse est,
Dum faciles spirant aurae, & maris vnda sileſcit,
Vos laeti remanete, animisque volentibus arcem
Hanc colite, & Narili Caribas in Regna ruentes
Pellite, vos opibus ipse auxilioque iuuabit
Rex Narilus, nec vana fides iam foedera sanxit,
Hoc vnum precor, ah vetitis ne forte rapinis
Conscelerate manus, non his fundamina Regni
Principijs iacienda noui, nec talia quondam
Bissenigessere viri cum legibus orbem
Fundarent, celebrate Deum, rituque colendi

Numina

Numina mutatis paulatim inducite templis,
Ipſe adero, & meritis ingentia praemia reddam
Poſt reddet maiora Deus. Sic fatus ad altas
Tendit iter naues ſequitur quem caetera pubes.
Et iam dira phalanx ſtygijs emiſſa cauernis
Quo claſſem pelagi ſpumantibus obruat vndis
Ingentes excire parat placido aequore fluctus.
Principio denſae ſolem inuoluere tenebrae
Quas grauido non terra ſinu, non pontus in altum
Expulit, at nigris Erebi deduxit ab antris
Noctipotens legio, coeloque immiſit aperto.
Nec mora, conſequitur picea caligine nimbus
Secum hiemem, ventoſque ferens illi impete vaſto
Aequora diripiunt, naues quae forte paratae
Pontibus expoſitis ſtabant, reuoluta per altum
Vnda vado refluente rapit, rurſuſque reſurgens
Ecce ſinum ex longo trahit atque ad littora maior
Monte ruit, nauimque nigris illidit arenis
Credita quae Mario, coelum tonat, ictaque tellus
Horrendum ingemuit, mediamque in fragmina littus
Diuidit, illa viros caecis exponit in vndis,
Quos fruſtra terrae ad nantes vis incita venti
Impedit, illiſique relabens aequoris aeſtus.
At quas Pinzonus regit, & ſenioris Alonzi
Dextera crudelis ſpumoſa per aequora turbo
Raptat agens, fruſtra trepidi ſuccurrere nautae
Et leti vitare vias, omnem arbiter orci

Succeſſum negat. Ergo vndis furiaribus actae
Dant peſti latus, & laxis compagibus imbrem
Vndique letalem accipiunt, modo in aſtra feruntur
Gurgite curuato, modo tartara in ima dehiſcunt
Praecipites, fracto ceciderunt carbaſa malo
Et clauos nigrae ſecum abſtulit impetus vndae,
Creſcit aquae furor, & ſceleratа inſania venti.
Tum Ductor caſu mentem perculſus acerbo
Ingentes cumulare preces, ſuperoſque vocare
Auxilio. Si quid gentis te cura remordet
Chriſte tuae, fer opem, & ſocios claſſemque benignus
Reſpice, namque potes, praeſentique eripe leto.
Tantum effatus, & aetherea demiſſus ab arce
Alatus iuuenis claſſem cui cura tueri
Venerat imperio ſummi Patris, ilicet omnis
Saeua cohors, Erebi caecis emerſa tenebris
Intremuit, neque enim minitantem, & dura ferentem
Iuſſa pati, aut notis obſiſtere viribus auſi
Tunc paribus nitens haec Nuncius edidit alis.
Quis furor hic? quae tanta repens audacia ſurgit?
Bis victum genus, & vanas ardetis in iras?
Nec dum etiam veſtri ſat nota potentia Regis?
Ite nigras Barathri in ſedes, non aequora vobis
Adſcripſit Deus, aut habitandas aeris oras,
Ite datas ite in tenebras. Nec plura, morantes
De ſuper vrget agens, vibrataque increpat haſta.
Olli abeunt, coelumque leuant, tum protinus ingens

Ventorum

Ventorum posuit fragor, ac tumida vnda resedit,
Et iam molle fretum Zephiri leuis innatat aura.
Obstupuere animis Indi. Tunc sydera Ductor
Aspectans, tendensque manus. Tibi maxime ponti
Rector (ait) Christe omnipotens nunc debita rursus
Nostra salus; Tu nos tot per maria aspera tutos
Aduehis huc, placidaque facis tellure potiri
Tu modo praesenti seruas a funere classem,
Perge precor, nostrosque iuues vbicumque iabores,
Terrarum pelagique potens, atque aetheris auctor.
Haec (ait) & lacrimis oculos subfundit obortis,
Amissosque animo Comites miseratur amico.
Continuo Canoas Indi insiluere cauatas,
Auxilioque volant, classisque in tuta reducunt
Fragmina, reliquias pelagi, clauosque, rudentesque,
Instabilique legunt fluitantia marmore vela.
Dehinc Ductor quam speret opem, qua nam arte ca-
Iam laceras iterum intexat, sub pectore voluit (rinas
Tristis, & ardenti curarum fluctuat vnda.
Ostendit fortuna viam. Prope littora surgit
Ardua sylua ingens, montemque, & frondea late
Arua tenet, hanc immisso procumbere ferro
Imperat, inde legi reparandae accommoda classi
Robora, iam sumptis exercitus omnis in armis
Imperium Ducis exequitur, coeloque minantes
Deturbant terrae pinus, iam quercus, & albens
Populus, ingentemque abies dedit icta ruinam,

Iam labem traxere aceres, cadit, & bona bello
Fraxinus, euersas imponunt curribus ornos,
Amnicolaeque alni, atque accisa securibus ilex,
Supremum ingemuit, refluum procul intonat aequor
Frondiferasque domos pauidae liquere volucres.
Postquam vulneribus crebris euicta resedit
Sylua solo, plaustrisque inuecta gementibus omnis
Materies tandem ad littus, tunc cura nouandae
Classis Amaracino Liguri datur, ille quietis
Nescius vrget opus, noctemque laboribus addit,
Et laxas magna arte trabes, laceraque retexit
Compages laterum cuneisque adstringit ahenis.
Atque ea dum properant digressu moesta Columbi
Anacaona dolet, pactumque exosa maritum
Se propriam huic dicat, & taedis adiungier ardet.
Illa quidem à caro nunquam sitientia vultu
Lumina declinat, nec quemquam ex agmine tanto
Magnanimum praeter Ligurem videt, illius omnes
Suspensa bibit aure sonos, illum arma gerentem
Depositisque armis vnum miratur, in vnum
Vsque inhians oculos iucundo pascit amore.
Ast vbi nox terras nigris amplectitur vmbris
Aut longam in lacrimas trahit & suspiria noctem,
Aut sibi de caro tantum Duce somnia quaerit.
Talibus ardentum curis, animoque furentem,
Inflammat magis, ac stimulis immanibus, orci
Monstrum agit, vt grato sensus imbuta veneno

Externas

Externas ne Ductor iter meditetur ad oras
Exitium immittat ſocijs, populoſque quietos
Exitet, & ferro naues abſumat & igni,
Aut ſaltem precibus properantem, aut morte moretur
Atque Ducem interea fors mutuus implicet ardor,
Magna parat, notum quid amans, quid foemina poſſit.
Ergo per noctem dilecti nuntia vultus
In ſomnis miſerae ſimulacra immittit amanti
Vndantemque animum exagitat, trahit illa furorem
Oſſa per, & venas, coecoque in pectore gliſcens
Nec iam ſe capit ignis, hiat veſana mali vis.
Illa igitur iam certa animum ſubmittere amori
Feſtinoſque abitus ſaltem prece, parua morari
Tempora, nunc blandis Ductorem affatibus ambit,
At ſimul vt caro defixit lumina vultu,
Admirans ſilet, obtutuque immobilis haeret;
Incipit, at fauces vox interrupta relinquit,
Inuitamque premunt lacrimae, & ſuſpiria linguam
Nunc venti infidi furias, quos aequore fluctus
Excierit, quanto claſsis demiſſa periclo
Commemorat, tum ne dubio ſe credere ponto
Ne velit ignotae caput vltro opponere morti
Hortatur, miſcetque preces, lacrimiſque fatigat
Cunctantem, & varijs aſſultibus irrita tentat,
Nec non votiuas indicit ſacra per aras
Ipſaque virginea comitum cingente caterua
Ad numerum canit, inque orbem pede praepete pernix

Pellit humum, laeto sociae clamore sequuntur,
Crura coloratis incinctae, & brachia conchis;
Primus it agmen agens lateri cui tinnula pendent
Tympana depicto venerabilis ore sacerdos,
Ille manu Cemium sublimi in sede videndum
Collocat, hinc aras Cerealia liba per artem
Secta rosasque offert, templo quae mystica matres
Munera textilibus secum aduexere canistris.
Tunc genibus super incumbens Regina reflexis
Non audituros vocat in vota irrita Diuos
Sancte ferum semel ab sublimi tange flagello
Marmoreosque animos, & ahenea pectora rumpe.
At postquam cura insomni, assiduoque labore
Instaurata ingens, stetit alto littore classis
Lentaque deductae texerunt marmora naues
Certus inire viam, ac lustrata relinquere Regna
Cristophorus, classem conscendi, & castra moueri
Imperat, innumeras frustra Anacaona morandi
Innectit causas, luctusque incendit amaros
Nequicquam nullis animum quippe ille mouetur
Vocibus, & lacrimas auersa respuit aure.
Tum vero foedata genas, & pectora virgo
Scissa manu, fletuque oculos accensa tumentes,
Ibis, ait, nec te quicquam Anacaona mouebit?
Ibis, & immiti morituram funere linques
Crudelis? quo tendis? & extera littora tentas?
Quin etiam dum saeuit hiems turbata procellis

Per maria ire paras, quid ſi deſerta ferarum,
Saxaque Cannibalum fugeres? tua Regna relinquis,
Meque fugis, ſaltem, ah, ſi te faſtidia noſtri
Tanta tenent, ſpacium precor, exiguamque furenti
Da requiem, dum ſperatos perferre dolores
Fortius ediſcam, non tu cum noſtra ſubires
Littora, & ignotos intrares aduena portus
Bella tuli, & prima vetui conſidere terra:
At ſi nulla tuae tangit te cura ſalutis,
Firmaque adhuc animo ſententia perſtat eundi,
Me quoque fer tecum, & ſpumoſas tolle per vndas;
Hoc precor, exiguum hoc munus moritura repoſco.
Talibus orantem, lacrimis immobilis Heros
Multa dolens, egramque animi miſeratus amantem,
Deſerit. At poſtquam facientem vela Columbum
Illa videt, certumque abitus correpta dolore
Exanimis cadit, atque oculos nox plurima preſſit;
Excipiunt famulae, manibuſque intecta reportant
Regia, pallentem, ac gelido ſudore fluentem,
Et tacitos imo quaeſtus ſub corde cientem.

Libri ſecundi
finis.

Errata.

B	2	a	Larguis.	Largius.
C	4	b	didiſti	dediſti.

In principio libri ſecundi.

			Quinqueiae. rucent.	Quiqueiae ruent
D	2	b	Hauentes.	flauentes.
E	2	b	recuſſent.	recuſent.
E	3	b	tranſſiger.	tranſigier.